

3. Attamen tolerasse consuetudinem, qua distrahebantur bona ecclesiastica valoris scutorum quinquaginta, quae formant summam francorum 268,75.

Quid ergo dicendum? Profecto quod in hac postrema summa scutorum quinquaginta figendum est pretium bonorum ecclesiasticorum, quae sine beneplacito apostolico vendi possunt.

Non nos equidem latet, cl. Lucidi *De Visitatione SS. Liminum Tom. II, pag. 504 n. 276* affirmare, indubitatum esse standum nunc esse consuetudini cuiusvis Dioecesis legitimae praescriptae, quod deducit ex causa Forosempronienensi superius allegata: « Verumtamen » certa atque indubitata hodie regula est, ut consuetudini cuiusque Dioecesis legitime praescriptae standum sit. Id enim deducitur ex Declaratione S. Congregationis Concilii editae in causa Forosempronien. 21 Iulii 1827, » in qua relatis doctorum utrimque decertantium opinionibus, » reque formiter discussa, quaerebatur, an probanda esset Dioecesis Forosempronienensis consuetudo legitime inolita, ut episcopi veniam darent pro alienandis Ecclesiae bonis summam scutorum 50 non excedentibus. » Itaque propositum est dubium: » An probanda sit consuetudo centenaria, aut quadragenaria in casu? » Eñi Patres rescripserunt *Affirmative.* »

Verum, si quid opinamur, consequentia deducta a cl. Lucidi magis patet quam praemissae. Etenim 1. ex quo Eminentissimi Patres probaverint in casu consuetudinem Ecclesiae Forosempronienensis, quae non excedebat scutata quinquaginta, non sequitur eos probasse alias Ecclesiarum consuetudines quae hanc summam excederent; consequentia deducenda erat, quod cum decreta Romanarum Congregationum sint (nisi aliud obstet) norma universalis, non sint reprobandae consuetudines aliarum Ecclesiarum quae pariter non excedant summam scutorum quinquaginta.

2. Illam autem non fuisse mentem s. Congregationis Concilii evidentissime patet ex Decreto supra relato s. Congregationis Episcoporum et Regularium anni 1840, quo sancivit, non esse sine beneplacito Apostolico alienanda bona, quae excedunt valorem scutorum viginquinque aureorum de Camera, ideoque contractus initos hanc summam excedentes esse sanandos ac revalidandos.

3. Neque quis obiiciat, quod cum Decretum s. Congregationis EE. et RR. posterius sit illo Ecclesiae Forosempronienensis, sequeretur alienari non posse neque bona quae aequent valorem scutorum quinquaginta, quae summa excedit viginquinque scutata aurea de camera francis 43.75. Etenim excessus est minimus; atque de minimis non curat praetor; quin et illud

addimus, noluisse Romanas Congregationes ratione tenuis illius excessus in irritum deducere consuetudinem legitime praescriptam.

Exinde vere nemo concludat, licitum esse Episcopis sine Beneplacito Apostolico alicuius fundi grandioris partem, quae non excedat pretium scutorum quinquaginta, vendere; etenim et in Capite *Terrulas* sermo est de bonis immobilibus integris, *terrulis, vineolis*, etc. et in eo cavetur ne distrahantur agri grandiores quamvis longe positi; et secus eluderetur omnimodis lex ecclesiastica, cum Administrator bonorum ecclesiasticorum fundum etiam maximae extensionis per partes non excedentes summam praedictam vendere posset; atque demum affirmat Monacelli *Formularium Legale practicum part. II, tit. XIV. form. V*, id fuisse a Romanis Congregationibus prohibitum. (1)

Altera conditio est ut contractus sit perfectus; lex enim Pauli II proscribit alienationes bonorum ecclesiasticorum, *omneque pactum, per quod ipsorum dominium transfertur*; ad incurrendam igitur

praesentem excommunicationem requiritur translatio rei venditae in acquirentem.

At exinde non levis quaestio. Atque manifestum est, in Romano iure sancitum fuisse ut venditio traditione rei perficeretur: *Traditionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. L. Traditionibus, 20 C. de pactis. Ex quo Sacrorum Canonum Tractatores praestantissimi, uti Schmalzgrueber *Tom. 3 Tit. XIII, n. 167*, Reiffenstuel *Tit. XIII De rebus Eccl. non alien. n. 66*, aliique concludunt, excommunicationem in re non incurri nisi bonorum ecclesiasticorum traditio subsequata fuerit. (1) Quam eandem sententiam tenent Constitutionis *Apostolicae* Commentatores, Reatinus ex. gr. qui scribit *n. 168*: Incurritur autem (excommunicatio) cum alienatio perfecta fuerit ultro citroque, Patavinus *n. 371*, Piato Commentarius in Const. *Apostolicae pag. 248*. Scriptores *de la Nouvelle Revue théologique Tom. XI pag. 619*, aliique.

Scimus tamen, nostro aevo, in pluribus Europae regnis leges vi-

(1) En eius testimonium: « Advertendum tamen est, quod bona ecclesiastica » sive res mobilis pretiosa, quae excedunt notabiliter hunc valorem, non possunt » dividi in plura corpora, ad hoc ut minuatur valor, et reducantur ad aestimationem praedictam ad hunc effectum, ut res fiat auctoritate Episcopi alienabilis; » prout, Papa approbante, declaravit Congregatio deputata super moderatione Brevis » Gregorii XIII circa bona Ecclesiarum Dioecesis Parmen. ad livellum concessa » 7 Octobris 1602 in responsione ad primum dubium; qui enim hoc faceret, dice- » retur facere in fraudem legis, et absque solemnitate alienare, et positus in mala » fide, et emptor qui hoc sciret, rem suam non faceret, et si esset frugifera fructus retinere non posset. »

gere, quibus statuitur solo partium consensu alienationem perfici et rerum dominium transferri; (1) in aliis vero romanum ius vigere ita ut sine rei traditione perfecta non censeatur alienatio. Quid ergo? requiritur ne rei alienatae traditio ad incurrandam excommunicationem etiam iis in regnis ubi alienatio solo consensu perficitur?

R. Extravaganti *ambitiosae* prohibetur rerum ecclesiasticarum alienatio et omne pactum per quod dominium transfertur.

Ubi autem lex viget quod venditio solo consensu partium perficiatur, negandum non esset dominium transferri; ergo iis in locis excommunicatio incurritur per solum contractum, quamvis rei traditio secuta non fuerit; nihil enim deest ad perfectionem contractus. Nullimode autem constat, Ecclesiam respuere leges iustas regnorum, cum ex iis nullum subit detrimentum, neque ecclesiasticis legibus opponuntur; quin imo iustis regnorum legibus vix aut ne vix quidem Ecclesia contraire potest, dum praesertim foris ecclesiasticus ei non permittitur; quomodo enim contractus iuxta vigentes leges initos

(1) Revera Codex Gallicus et Belgicus habet sub n. 1583 sequentem articulum: La vente est parfaite entre les parties, et la propriété est acquise de droit à l'acheteur à l'égard du vendeur, dès qu'on est convenu de la chose et du prix, quoique la chose n'ait pas encore été livrée, ni le prix payé. Articulus 1448 Codicis civilis italici: La vendita è perfetta fra le parti, e la proprietà si acquista di diritto dal compratore riguardo al venditore, dal momento che si è convenuto sulla cosa o sul prezzo, quantunque non sia seguita ancora la tradizione della cosa, nè sia pagato il prezzo. E contra in Hollandia viget in casu ius romanum, ita ut sine rei traditione perfecta alienatio non censeatur.

rescindere posset? Iis in locis autem, in quibus sine traditione rei alienatio perfecta non est, ad incurrandam excommunicationem requiritur rei traditio, sine hac enim contractus non est perfectus. Hinc Confessarii inquirent regnorum codices et leges, et de excommunicatione vel de exemptione ab ea in casu pronuntient.

III. Tertia conditio ad incurrandam excommunicationem est ut in alienatione honorum ecclesiasticorum interveniat praesumptio.

Verum et circa hanc postremam conditionem eruditi discrepant. Et ad rei declarationem praemittendum est, quod Paulus II in cit. extrav. *Ambitiosae* praesumptionem requisiverit tum in recipientibus tum in alienantibus: *Si quis autem contra huius nostrae prohibitionis seriem de bonis et rebus eisdem quicquam alienare praesumpserit.* Pius Papa IX in nostro Capite praesumptionem ad unos recipientes coarctavit. Hinc commentatores, Patavinus qui primus omnium fortasse eiusmodi differentiam animadvertit, Ciolli *Commentario pratico pag. 117*, Reatinus *pag. 99 edit.* 3. Grandclaude *Constitu-*

tio etc. commentariis illustrata pag. 63, 64 aliique affirmant, ab alienantibus excommunicationem non incurri, si praesumptio in eis desit.

Hi sed vero eiusmodi argumentis innituntur 1. quia Pius Papa IX vocem praesumentes unis recipientibus affixit: *et recipere praesumentes.* Hinc supponendus est legi Paulinae modum in re apponere voluisse. 2. Cum ignorantia in alienantibus concipi vix aut ne vix possit, inutiliter praesumptio in eis requisita fuisset.

At alii Commentatores hisce non moventur, et praesumptionem exigunt nedum in recipientibus, sed etiam in bona ecclesiastica alienantibus, ea ducti ratione, quod Pius Papa IX excommunicationem hac in re inducat ad formam Extravagantis *Ambitiosae*, in hac autem praesumptionem et in alienantibus exigi.

Argumenta autem ab adversae sententiae patronis allata solida non esse affirmant; primum enim per hoc prorsus eliditur quod Pius IX nihil de Extravaganti *Ambitiosae* immutaverit relate ad *alienantes*. Alterum vero quod plurimi esse possint rerum ecclesiasticarum administratores, qui legem in re promulgatam ignorent; satis de cetero esse, ut etiam parvus Administratorum numerus legem supponatur ignorare ad hoc ut Ecclesia intactam relinquat et conservet antiquam iuris dispositionem.

Quae ergo sententia tenenda?

Profecto prima quae praesumptionem in unis recipientibus exigit nobis omnino certa et tenenda videtur.

Et 1. Argumentum a patronis secundae sententiae allatum, quo adstruitur, Pium Papam IX circa alienantes nihil de antiqua legislatione immutasse, tuto negari potest, utpote gratis assertum; nulla enim ratio in argumenti probationem adducitur.

2. At falsum insuper deprehenditur:

Constat enim Pium IX ab recipientibus tantum exegisse conditionem praesumptionis; neque ratio ulla sensus grammaticalis ad alienantes praesumptionem refert quandoquidem non dicit: *alienare et recipere praesumentes, sed alienantes, et recipere praesumentes*, ita ut ad recipientes tantummodo praesumptio referatur, sin minus constructio latina esset: *praesumentes alienantes*. Porro in interpretatione primo attendere debemus ad sensum grammaticalem atque ad grammaticalem syntaxim. At nulla syntaxis grammaticalis inveniri potest si ad *alienantes* vocem *praesumentes* referamus; nulla ergo ratio est secundae sententiae.

3. Sed liberaliores simus; atque supponamus dubium esse sensum, ita ut aliquo pacto etiam ad alienantes praesumptio referri possit; quod tamen prudens quisquam numquam erit concessurus; profecto neque hoc in casu de excommunic-

tione damnandi essent illi qui sine praesumptione bona alienarent ecclesiastica; etenim *in dubio quod minimum est sequendum*; ideoque ad unos recipientes sanctio esset limitanda.

Argumenta autem allata a primae sententiae defensoribus firma omnino consistunt, neque eliduntur ab adversariis. Firmum enim est primum argumentum, quia exploratum est in Pii IX capite praesumptionem ad unos recipientes coarctari; unde simpliciter falsum est, nihil de Extravaganti *Ambitiosae* immutasse.

Stat insuper secundum argumentum, quia communiter administratores ecclesiastici sciunt, bona Ecclesiae sine Apostolico beneplacito alienari non posse, atque si faciant excommunicationem incurrere: qua de causa in illis ignorantia vix, aut ne vix quidem concipi potest.

Equidem adversarii affirmant, plurimos esse administratores bonorum ecclesiasticorum qui et legem et adnexam poenam ignorant. (1) Verum haec nugando dici possunt,

(1) Que d'administrateurs des biens d'Églises, ou de lieux pieux ignorent la prohibition de l'Église sur ce point, et les peines dont elle frappe les prevaricateurs! *Revue Théologique Tom. XI, pag. 521.*

vere et serio non possunt. In Administratores enim bonorum ecclesiae non eliguntur bardi et simplices quilibet, sed qui prudenti arbitrio et intellectu exornantur; deinde iis qui sint obtusi ingenii praesunt Episcopi, praesunt superiores religiosi, sine quibus alienatio fieri non potest. Qua de causa ab alienantibus, ut plurimum, ignorantia excludenda est, et unis recipientibus tribuenda; qui reapse cum leges canonicas scire non teneantur, cum insuper supponere non debeant viros ecclesiae contra legem agere in alienandis Ecclesiasticis bonis, bona fide emere possent, quae scienter emere nec possent, nec deberent.

Hinc si hi cum debita scientia legis et poenae adnexae, atque sine beneplacito Apostolico bona emant ecclesiastica, excommunicationem incurrunt; eam tamen non incurrunt si emant etiam cum ignorantia affectata, quia praesumptio excludit quamlibet ignorantiam, ut non semel in nostris Commentariis probavimus.

APPENDIX XXXVII.

De excommunicatione lata in negligentes sive culpabiliter omittentes denuntiare Confessarios vel Sacerdotes a quibus ad turpia sollicitati fuere.

Appendice IX hujus nostri Commentarii Tom. 1 pag. 305 egimus de confessariis complices absolventibus in peccato turpi, et casus proposuimus sub lege comprehendendi vel ea excludendi. In praesenti appendice non ita; sed nobis dissendendum est de iis qui culpabiliter omittunt denunciare Confessarios a quibus ad turpia sollicitati fuere. Relatio tamen aliqua intercedit; etenim illi Confessarii sunt denunciandi qui poenitentes suos ad turpia provocant iis actibus et modis seu casibus qui in Gregorii XV, et Benedicti XIV Constitutionibus enumerantur. Porro lex Pii Papae IX ita in Constitutione, quam exponimus, legitur:

« IV. Negligentes sive culpabiliter omittentes denunciare infra mensem Confessarios, sive Sacerdotes a quibus sollicitati fuerint ad turpia in quibuslibet casibus expressis a Praedecessoribus nostris Gregorio XV Const. *Universi* (20 Aug. 1622), (1) et a Benedicto XIV Const. *Sacramentum Poenitentiae* (1. Jun. 1741). »

Pontifex ergo Pius IX nullos alios casus addit, nullasque novas circumstantias, sed casus instaurat

a Gregorio XV, et a Benedicto XIV recensitos. Allegandae igitur, et expendendae sunt citatorum Pontificum Constitutiones. Porro Gregorius XV in cit. Const. *Universi* hanc quoad utramque sanctionis partem decernit.

« § 4. Praeterea, ne in futurum » de poena his delinquentibus imponenda, et de modo contra eisdem procedendi aliquo modo dubitari possit, statuimus, decernimus et declaramus, quod omnes et singuli sacerdotes, tam saeculares quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedit Apostolicae immediate subiectorum Ordinum, institutorum, societatum et congregationum regulares, cujuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant, qui per sonas, quaecumque illae sint, ad inhonesta, sive inter se, sive cum aliis quomodolibet perpetranda, in actu Sacramentalis Confessionis, sive antea vel post immediate, seu occasione vel praetextu confessionis hujusmodi etiam ipsa confessione non sequuta, sive extra occasionem confessionis in confessionario, aut in loco quocumque ubi

(1) Haec constitutio in Bullario Rom. Edit. Taurinen. data dicitur die trigesima, non vigesima, Augusti 1622.